



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Ab Alexandro VII. Ad Clementem X.

Luxemburgi, MDCCXLII.

LVI. Confirmatio Indulgentiarum Confratribus, & Consoribus
Confraternitatis B. M. V. de Monte Carmelo à Paulo V. concessarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74833](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74833)

gregationis prædictæ eligantur Canonice sex Electores, qui eo ipso, quod assumunt officium Electoris non habeant vocem passivam in ulla electione Abbatum celebranda in eodem triennio. Hi autem sex Electores cum Generali Reformatore, & sex Definitoribus canonicè eligant Abbates pro quibuslibet Monasteriis Congregationis prædictæ, ita ut qui in electione Abbatis cujuslibet Monasterii ex tredecim prædictis vocalibus videlicet Generali Reformatore, sex Definitoribus, & dd. sex Electoribus majorem partem suffragiorum habuerit, sit electus Abbas illius Monasterii, cujus Abbatie celebratur electio. Prædicti autem Generalis Reformator, sex Definitores, & sex Electores debeant eligere Abbates, tam pro Monasterio Matritensi Sanctæ Annæ, ac Collegiis Salmanticensi, & Complutensi, quam pro cæteris Monasteriis totius Congregationis prædictæ. Et similiter omnes prædicti debeant eligere Procuratores Generales Curie Romanæ, Matriti, Vallisoleti, & Cornubiæ.

Electores esse debeant.

§. 4. Ex dictis verò sex Electoribus tres debeant esse oriundi ex Terris suis citrà montes, prout de Definitoribus decrevit memoratus Clemens Prædecessor; Et sicut ex eadem Domo Matrice non possunt eligi duo Definitores, ita nec duo Electores filii ejusdem Domus Matricis eligi possint.

Monachi quando eligere possint Abbat. m.

§. 5. Quod si morte, promotione, renunciatione, aut privatione aliqua Abbatia vacaverit, Monachi illius Monasterii cujus Abbas obierit, aut renunciaverit, vel privatus fuerit duorum dierum naturalium spatio, qui numerari debeant à defuncti morte, renunciatione à Generali Reformatore admittà, atque Conventui juridicè notificata, aut privatione per definitivam sententiam confirmata, & intimata cum suo Præsidente, vel Præposito in suo Capitulo congregati, ad electionem Abbatis ejusdem Monasterii procedant, & ex Monachis ejusdem Monasterii, sive fuerint ex Domibus quæ vulgò nuncupantur Matrices, sive ex aliis Monasteriis dictæ Congregationis qui habiles sint, conditionesque requisitas juxta leges ejusdem Congregationis habeant, sibi liberè Abbatem eligant. Priorque aut Conventui Præsidentis electionem factam canonicè confirmet. Si autem Monachus aliquis peregrè profectus sit, qui suffragium, & vocem activam habeat, vel longè à Monasterio degat pro fundi Monasterii ejusdem administratione, qui spatio prædictorum duorum dierum naturalium non possit interesse electioni, ad ipsam electionem vocari non debeat. Sed statim electio fiat intra spatium duorum dierum naturalium ab illis Monachis Conventualibus, qui intrà prædictum spatium in Monasterio fuerint præsentibus. Si verò intrà prædicti temporis spatium Abbas electus non fuerit à Monachis Conventualibus Monasterii, ad Generalem Reformatorem provisio Abbatis ejusdem Monasterii devolvatur.

Observationem præsentium mandat.

§. 6. Cæterum si quis Monachorum Congregationis prædictæ, contra præsentium Litterarum dispositionem quidquam facere, vel attentare præsumperit, poenam privationis vocis activæ, & passivæ eo ipso absque alia declaratione se noverit incursum.

Volumus autem, & dicta auctoritate præcipimus ut in proximè futuro Capitulo Generali memoratæ Congregationis, omnes Capitulares antequam ad aliquam electionem procedant, jurent super Sancta Dei Evangelia observari omnia & singula per præsentibus Litteras statuta, & ordinata. Ipsaque præsentibus Litteræ inter Definitiones juratas collocentur, & in singulis Capitulis Generalibus in posterum quandocumque celebrandis omnes Capitulares jurejurando se ad illarum observantiam adstringant antequam ad ullam electionem procedant; ut moris est jurare Definitiones quæ in Congregatione prædicta nuncupantur juratæ.

§. 7. Decernentes easdem præsentibus Litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, & ab illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia inviolabiliter, & inconcusse observari, & adimpleri.

§. 8. Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam Canfarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ prædictæ Cardinales, & de latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuncios, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate & auctoritate iudicari, & definiti debere; ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Nec aliter iudicari posse decernit.

§. 9. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit Congregationis, ejusque Monasteriorum, seu Collegiorum, & ordinis prædictorum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis; Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permanens ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Contrariis derogat.

§. 10. Demum volumus pariter, ut ipsarum præsentium Litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem ubique fides in iudicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Transumptorum fides.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Anno Piscatoris die 24. Decembris 1671. Pontificatus Nostri anno secundo.

D.P. A. S. die 24. Dec.

Confirmatio Indulgentiarum Confratribus, & Confororibus Confraternitatis B. M. V. de Monte Carmelo, à Paulo V. concessarum.

LVI.

CLEMENS PAPA X.

Edita A. D. 1671.

Ad perpetuam rei memoriam.

CUM, sicut accepimus, aliàs fel. recor. Paulus Papa V. Prædecessor Noster Confraternitati Sanctissimi Scapularis nuncupatæ sub invocatione Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo, ejusque Confratribus, & Confororibus verè poenitentibus, & confessis, ac sacra communione refectis, qui Ecclesiam, seu Capellam, vel Oratorium, in qua, seu quo Confraternitas hujusmodi canonicè instituta fuisset, in festo principali Commemorationis ejusdem Beatæ Mariæ Virginis die decima sexta mensis Julii, aut juxtà ritum nonnullorum locorum, die Dominica immediate sequenti celebrari solito devotè visitassent, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pijs ad Deum precibus effudissent, Plenariam; ac eisdem Confratribus, & Confororibus etiam verè poenitentibus, & confessis, ac sacra Communione refectis, qui processioni, in una Dominica cujuslibet mensis per dictam Confraternitatem, de licentia Ordinariorum locorum fieri solitæ devotè interfuissent, & ut suprâ oravissent, Plenariam similiter omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem, necnon alias poenitentiarum relaxationes eisdem Confratribus, &

Causæ constituit.

Con-

Conforibus certa pietatis, & charitatis opera peragentibus, misericorditer in Domino perpetuo concesserit, prout in Litteris Apostolicis dicti Pauli Prædecessoris desuper expeditis plenius dicitur contineri.

Confirmat
ut in rubr.

§. 1. Nos, ut Confraternitas hujusmodi majora in dies suscipiat incrementa, de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, supplicationibus quoque dilecti filii Matthæi Orlandi Ordinis ejusdem B. Mariæ Virginis de Monte Carmelo Prioris Generalis Nobis humiliter super hoc porrectis inclinati, omnes, & singulas Indulgentias, & peccatorum remissiones, ac penitentiarum relaxationes per dictum Paulum Prædecessorem dictæ Confraternitati, ejusque Confratribus, & Conforibus, ut præfertur, concessas animabus Christianifidelium, quæ Deo charitate conjunctæ ab hac luce migraverint, per modum suffragii, servata in reliquis ejusdem Pauli Prædecessoris Litterarum desuper emanatarum forma, & dispositione, applicari posse, auctoritate Apostolica, tenore præsentium misericorditer in Domino, etiam perpetuo concedimus, & indulgemus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 2. Volumus autem, quod præsentium transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur præsentibus si forent exhibitæ, vel ostense.

Dat. P. A. 2.
die 2. Jan.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die secunda Januarii 1672. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

LVII.

Confirmat Decretum Sac. Congregationis negotii Episcoporum, & Regularium præpositæ, nimirum non licere Parochis occasione associationis cadaverum ingredi Regularium Ecclesias, sed teneri dimittere cadavera ad januam Ecclesiarum. Cætera verò munia in hujusmodi ministeriis per Regulares esse expedienda.

Consimilem Constitutionem habes supra in Alexand. VII. Alias pro 93. pag. 131.

Edita An. D.
1672.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Causæ Con-
stitutionis.

Nuper pro parte dilecti filii Procuratoris Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum Congregationi Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ, exposito quod eadem Congregatio die 16. Decembris 1661. super controversiis, quæ inter Parochos Civitatis Placentinæ, & Monachos Monasterii S. Sixti Congregationis Casinen. Ordinis Sancti Benedicti occasione funerum erant exortæ inter alia decreverat servanda esse Decreta, & declarationes alias factas; scilicet Parochis in associatione, seu occasione associationis cadaverum non licere ingredi Ecclesiam Monachorum prædictorum, sed teneri dimittere eadem cadavera ad januam Ecclesiarum ibique solum posse benedicere, & dare ultimum vale, officia vero & munia quæ in hujusmodi ministeriis adhiberi solent ab ipsis Monachis peragi debere, non autem à Parochis, atque ita in præmissis omnibus deinceps fieri, & executioni mandari præceperat.

§. 1. Et in eadem expositione subjuncto, quòd eadem rationes militarent ad favorem dicti Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia, ideoque supplicato ut Congregatio præfata resolu-

tionem sive decisionem hujusmodi extendere ad associationem per Parochos fieri solitam cadaverum defunctorum, quæ in Ecclesiis fratrum hujus Ordinis sepeliuntur, idque ad tollendas controversias, quæ in aliquibus Parochiis ea occasione inter Parochos, & Fratres Ordinis hujusmodi nascuntur non sine scandalo, ac fraternæ, & Christianæ charitatis detrimento: Enavit ab eadem Congregatione Cardinalium Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet: Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita censuit Oratoribus dandam esse infrascriptam declarationem alias editam nempe Parochis in associatione sive occasione associationis Cadaverum non licere ingredi Ecclesias Regularium, sed teneri dimittere eadem cadavera ad januam Ecclesiarum, ibique solum posse benedicere, & dare ultimum vale; Officia verò, & alia munia, quæ in hujusmodi ministeriis adhiberi solent, ab ipsis Regularibus peragi debere, non autem à Parochis, atque ita in præmissis omnino deinceps fieri, & exequi præsentium vigore mandat, & præcipit, contrariis quibuscumque non obstantibus. Romæ 27. Novembris 1671. F. M. Cardinalis Brancatius. Loco sigilli.

§. 2. Cum autem sicut præfatus Procurator Generalis Nobis subindè exponi fecit ipse Decretum hujusmodi pro firmiori illius substantia, Apostolicæ confirmationis Nostræ patrocinio communiri summopere desideret, Nos specialem ipsi Procuratori Generali gratiam facere volentes, eumque à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, Supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate præfata Congregationis Cardinalium.

Approbatio,
de qua in rubr.

§. 3. Decernentes eadem præsentibus Litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissime suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum
irritans.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, caterisque contrariis quibuscumque.

Contrario-
rum deregatio.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 18. Januarii 1672. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

Dat. P. A. 2.
die 18. Jan.

Approbat Decreta Sac. Congreg. consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ scilicet Parochos cujuscumque Dioc. majorum petere non posse elemosynam ab hæredibus eorum, qui sepeliri volunt in Ecclesiis Regularium, quam si in eorum Ecclesia Parochiali sepeliri peterent, & functiones funeralium super cadavera defunctorum, in Ecclesiis Regularium sepelienda ad ipsos Regulares non ad Parochos spectare.

LVIII.

Ne jam dicta otiosè repetam, vide quæ annotantur ad materiam in Urban. VIII. Const. 22. Alias sel. pag. 59.